

supremi magistratus, in forma extraiudiciali, quam illas iudicis, in forma contentiosa. N

Et de alijs ad istam Congregationem pertinentibus videri poterit in enunciatione 16 *to Ecclesiastic. Miscellan.*, ac etiam in materia iurisdictionali, et in illa regaliū, occasione agendi de gabellis, & vectigalibus, præsertim pro immunitate reali &c. O

N. de his causis remissis ad suos iudices tit. de regal. disc. 50. cum plur. seqq. & agitur etiam in dicto *Miscellan. Eccles. disc. 2. & seqq.*

O. in locis supra relatis.



## De Sacra Congregatione Rituum.

### S V M M A R I V M

- 1 DE istius Congregationis erectione, eiusque duplici specie.
- 2 De personis ex quibus ea constituitur.
- 3 Quæ negotia in ea peragantur distinguuntur inter contentiosa & non contentiosa.
- 4 Quæ nam sint non contentiosa.
- 5 De receptione alicuius sancti in Protectorem.
- 6 De quæstionibus contentiosis quæ super ista protectione cadere solent.
- 7 De quæstionibus contentiosis præminentiarum inter Ecclesiasticos.
- 8 De alijs quæstionibus similibus cum secularibus.
- 9 De stylo procedendi in forma extraiudiciali, omniaque faciendi gratis.

- 10 Quod quædoq; formatur processus, & adhibet quandam formam iudicalem.
- 11 In his materijs præminentiarum deferretur consuetudini, & quando.
- 12 An cerimoniale impediatur consuetudinem.
- 13 Quod soleant etiam istæ causæ committi in Rota, vel de eius voto.
- 14 De alia specie Congregationis super Canonizatione Sanctorum, & qui nam interueniant.
- 15 Adhibentur etiam medici, & alij professores, & quare.
- 16 De congregationibus quæ habentur coram Papa, ac etiam de Consistorijs, in hac materia.
- 17 De alijs quæ hanc materiam concernant remissæ & quare non omnes Aduocati hæc negotia pertractent.
- 18 De stylo propinarum, aliorumque emolumentorum in hac materia.
- 19 De præcedentia inter Sanctos.

## DISC. XXVIII.



Vplex videtur ista Congregatio, à Sixto V., cum alijs pluribus per eandem Constitutionē quoque erecta A; Vna scilicet ordinaria, pro Ritibus ecclesiasticis, aut pro decidendis controuersijs præcedentiarum, aliarumque præminentiarum; Et altera extraordinaria, super canonizatione Sanctorum, seu beatificatione, & cultu aliquorum seruorum Dei, dum diuersus est personarum interuentus, seu participatio, in vna, quàm in altera, in ordine ad Prælatos, aliasque personas, extra illas Cardinalium, qui pariformiter in vtraque interueniunt eo ipso, quod ex oraculo Papæ, huic Cōgregationi Rituum in genere adscribuntur; Quare de eis distincte, vt decet, agendo.

Quatenus pertinet ad primam speciem Congregationis ordinariæ; Ea ex solis Cardinalibus constituta non est, quoniã, ultra ipsorum competentem numerum, 2 qui (prout in omnibus alijs Cōgregationibus) non est determinatus, sed maior vel minor, pro Papæ libito, interueniunt plures Prælati, quorum vnus est secretarius,

rius, ac etiam aliqui religiosi theologiae professores, & praeteris Magister S. Palatii, & Sacrista Papae, qui ambo sunt regulares, vnus Ordinis Praedicatorum, & alter Eremitarum S. Augustini; Ac etiam vnus vel plures magistri ceremoniarum Papae.

In ista Congregatione, duo negotiorum genera peraguntur; Vnum scilicet contentiosorum inter Partes; Et alterum gratiosorum, seu pacificorum ex officio, vel ad supplicationem, in ijs quae sacros ritus, & ceremonias, vel diuinum cultum concernunt.

De hoc secundo genere sunt ea, quae (vt supra), respiciunt cultum diuinum, ac ritus, & ceremonias ecclesiasticas, sine contradictore vel tertij prauidicio; Puta super concessione facultatis celebrandi officium, vel missam, sub simplici, vel semiduplici, aut duplici ritu alicuius Sancti, vel Beati; Aut celebrandi octauam, aliaue similia faciendi, siue declarandi aliquod dubium ceremonialis, vel quibus diebus alicuius maioris solemnitatis, celebrari possit missa votiu alicuius Sancti in propria Ecclesia, vel vbi adsit aliqua reliquia insignis, cum similibus; Nec non concedendi licentiam assumendi aliquem Sanctum in protectorem, cum facultatibus vel consequentijs, quae exinde resultant, quando ista qualitas tutelaris canonizata sit ab hac Sacra Congregatione, & sine cuius licentia hodie id fieri non potest ex Apostolicis decretis.

Super hoc autem in specie, nostra aetate, in plerisque Italiae, ac Hispaniarum Ciuitatibus, iste punctus practicus fuit in forma contentiosa, an scilicet, potius vnus, quam alter Sanctus recipi deberet in protectorem; Siue an recipi posset ille, cui permissum sit, praestari cultum, tanquam Beato, sed adhuc non esset solemniter canonizatus; Et quamuis in plerisque alijs Ciuitatibus, & locis, praxis huiusmodi quaestiones docuerit in forma contentiosa, praesertim vero in Ciuitate Pampilonensi; At tamen, frequentius, quam alibi id sequitur in Ciuitate Neapolitana, vbi, ob nimiam illius Populi deuotionem

& ob religiosorum magnas amulationes spirituales, huiusmodi quaestiones frequenter audiri consueuerunt, tam circa, inclusionem vnus, in exclusionem alterius, inter Ordines, vel Religiones, ex quibus illi serui Dei fuerint, quam etiam circa multiplicitatem, adeo vt Ordinarius, de cuius consensu huiusmodi protectiones, & non alias concedi solent, excusari soleat, quod non adesset amplius locus in insigni cappella Ciuitatis, in quo statuae reponi valeant. A

Quinimmo, etiam quoad eos, qui iam recepti sint in Protectores, frequentes (& quidem scandalosae) controuersiae audiri consueuerunt, inter religiosos diuersarum Religionum, super praecedentia statuarum, vel imaginum; Siue inter illos eiusdem Religionis originariae, quae in plures filiales, vel reformationes diuisa sit, super habitu statuae, vel imaginis illius Sancti, vt praesertim contigit de Sancto Antonio Patauino, an habere deberet capucium pyramidatum quo vtuntur Capuccini, vel rotundum, seu quadratum, quo vtuntur Conuentuales, vel Obseruantes; Siue ad quos in publicis processionibus pertineat, illam statuam associare, & praesertim inter calceatos, & discalceatos Carmelitas, circa statuam S. Theresiae, moderna praxis docuit, B, cum similibus amulationibus, seu leuitatibus Ideoque etiam pro zelo maiestatis ac existimationis Ciuitatis, & populi, & pro seruitio cultus, ac deuotionis, prudens, atque commendabile videretur consilium, vt forsitan per saeculum in his omnimodum silentium, ibi imponeretur.

Alterius generis contentiosi negotia sunt, quaestiones praecedentiarum, aliarumque praeminentiarum, in processionibus, alijsque publicis functionibus, inter seculares, & regulares; Vel respectiue inter vtriusque Cleri diuersa Capitula, vel monasteria, seu conuentus; Aut inter eiusdem Capituli dignitates, vel Canonicos, aliosue clericos, & praesertim inter dignitates in Cathedrali, vel Metropolitana, super iure faciendi primarias, & pontificales functiones, cum similibus.

Aut

A. de ista cappella sub tit. de praeminent. disc. 12. & tit. de Regular. disc. 20.  
B. de hoc sub tit. de Regular. disc. ibidem.

Aut etiam super iure funerandi vel celebrandi officium super cadauere in funere; Aut super iure prohibendi celebrationem eiusdem solemnitatis; Vel prohibendi iam celebrari solitam; Vel super iure prohibendi nouas erectiones congregationum, & confraternitatum; Nec non super modo assistendi Episcopo, vel alteri Praelato, eique occurrendi, vel associandi respectiue; Aut super usu pontificalium, quem habent nonnulli Praelati inferiores, praesertim regulares, & cum qua moderatione uti debeant, cum similibus controuersijs inter ecclesiasticos. C

Vel vbi agatur de controuersijs praeminentialibus inter ecclesiasticos & saeculares, vel respectiue inter ipsosmet saeculares super praeminentijs & honorificis tractatibus, qui Principibus, vel Baronibus, aut Gubernatoribus, alijsque publicis Magistratibus, aut Patronis, vel alijs qualificatis viris saecularibus debeantur, vel respectiue congruant, throni scilicet elati seu baldacchini, vel sedis, aut scamni D; Et in summa de omnibus quae concernunt ea, quae Ecclesiarum cultum & ecclesiasticum ritum percutiunt.

In omnibus tamen vtriusque generis negotijs, idem adhibetur stylus, qui in alijs Congregationibus, est insinuatus, procedendi scilicet per viam summariae, ac extraiudicialis cognitionis, prauijs eiusdem extraiudicialibus informationibus, ab Ordinario loci, vel a Superiori regulari respectiue; Omnesque expeditiones, & prouisiones concedendi gratis omnino.

Bene verum, quod ista Congregatio, magis quam aliae, aliquam Tribunalis contentiosi imaginem habere videtur, formam scilicet processus, cum examine testium in Curia, per Notarium, quo uti solet in causis, vel actis beatificationis, & canonizationis Sanctorum; Ac etiam concedendo remissionem in partibus; Et super qua, ad instar eius, quod quotidiana Rotae praxis docet, formales

disputationes haberi solent, per tramites iuris, & cum eisdem regulis, de quibus *suatit. de iudic. in materia remissoriae*, et in altera compulsoriae seu extractionis scripturarum E; Id autem ex ea ratione prouenit, quod cum in hac materia praeminentiarum, consuetudini nimium deferendum sit, praesertim vero vbi ea sit immemorabilis, qua accedente, in iure admittitur, vt minus dignus praecedat magis dignum, maioreque habeat praeminentias; Pro casibus tamen particularibus, non autem pro regula vniuersali, cum tunc corruptela potius talis consuetudo dici mereatur; Hinc proinde, huiusmodi assertae consuetudinis probationes, etiam in ipsa Sacra Congregatione facere oporteat. F

Prout etiam super huiusmodi consuetudinibus disputari solent quaestiones iuris, quando scilicet aduersentur ceremoniali Romano, ratione clausularum contentarum in Constitutione Clementis VIII., eiusdem ceremonialis confirmatoria, quarum clausularum virtus, & operatio est, inficere quamcumque contrariam possessionem, vel obseruantiam, vnde de consequenti tollitur vel impeditur consuetudo, inter cuius requisita illud possessionis est praecipuum, ac substantiale; Adhuc tamen huiusmodi clausularum obstaculum, euitari solet; Vel ratione non comprehensionis; Vel quia consuetudo sit potius interpretatiua casus dubij; Aut quod iam introducta esset de tempore aeditionis ceremonialis. G

Dantur tamen frequentes casus, quod in huiusmodi causis contentiosis, in quibus formales probationes facere oporteat, Pontifex demandet, vt cognoscantur de voto Rotae in forma iudiciaria; Siue quod eas auocet a Congregatione, atque committat in Rota, decidendas prout de iure; Id autem certam non habet regulam vel praxim, cum sit materia arbitraria, pro facti qualitate, & circumstantijs regulari solita; Et quandoque Papa hoc arbitrium regulate solet cum voto Praelatorum

C. de his sub tit. de praeminent. serè per tot. & in Miscellan. ecclesiast. ac etiam tit. de Regular. disc. 19.  
D. tit. de praeminent. disc. 26. & 27. & tit. de iure patron. disc. 52. & alibi.

E. tit. de iudic. disc. 28. & 31.  
F. eod. tit. de praeminent. a disc. 18. ad 22. & in Miscellan. Ecclesiast.  
G. eod. tit. de praeminent. & Miscellan. Ecclesiast. pluries.

## 96 RELATIO ROM. CVR. FORENSIS

torum Signaturæ Gratiæ, ad quam vna Partium, quæ de iudicio Congregationis conueneratur, recurrere solet, vt etiã quandoque praxis docet, in negotijs aliarum Congregationum Episcoporum, & Regularium, vel Concilij, siuè Immunitatis. G

Quæritur ad aliam speciem Congregationis, quæ tractat solum negotia canonizationis, vel beatificationis seruatorum

14 Deis illa constituitur, ex eisdem Cardinalibus, & Secretario alijsque Prælatibus, & officialibus vel Theologis, de quibus supra; Verùm aliorum quoque Prælatorum, & Religiosorum, ac officialium superadditionem recipit, Promotoris scilicet Fidei, cuius officium, non ex necessitate, sed ex frequentiori vsu, annexum esse solet officio Aduocati fiscalis; Nec non interueniunt tres antiquiores, Rotæ Auditores, tanquam supponendi periti Canonistæ, qui partes Assessorum ita gerere videntur; Ac etiam vnus ex Prothonotarijs participantibus, cui illa causa iniuncta, seu distributa sit, siquidè isti Prothonotarij, circa initia primitiue ecclesiæ, sub Clemente I. deputati fuerunt pro hoc munere scribendi acta Martyrum; Ac etiam adhibentur alij Theologi, qui Consultores, vel respectiue Qualificatores dicuntur, vt res tantæ importantiæ, in supercõpilatione processuum, quàm super discussione probationum, & alijs, quæ contingunt, cum nimia maturitate, atque cum consilio quamplurimum peritissimorum virorum, in omnibus licentijs, & facultatibus, examinentur.

Hinc proinde adhiberi quoque solent, pro consilio, probatissimi, ac periti medici, & philosophi, alijsque professores, ad effectum discutiendi, an illæ operationes, quæ miraculis referuntur, dici mereantur supernaturales, vel prouenire possint à potentia naturali, quamuis difficili, & rara.

Postquam verò probationes, respectu beatificationis, vel respectiue canonizationis, benè, ac maturè discussæ sunt, adeo vt negotium in pluribus Congregationibus benè præparatum sit, tunc super eo, magis solemnis Congregatio habetur coram ipso Papa, qui audito voto

Congregationis, decretum interponit; super beatificatione, vel super concessione cultus, ac similibus functionibus, præter canonizationem, siue adscriptionem cathalogo Sanctorum, vt pote obligatoriã de fide; Ideoque postquam negotium examinatum est, etiam in ista magis solemni Congregatione coram Papa, examinatur etiam in pleno Consistorio secreto, deindeque aliud habetur Consistorium magis solemne, & publicum, in quo interueniunt omnes Archiepiscopi, & Episcopi, qui in in Curia præsentem reperiuntur, qui omnes votum proferunt, per quamdam imaginem Concilij.

Quales verò sint formulæ, quæ in huiusmodi processibus adhibeantur, & quid præcedere debeat, priusquam huiusmodi probationes admittantur, meum non est peragere, cum ex quodam antiquo Curia stylo, ita exigente quoque natura seu qualitate huiusmodi negotiorum, quæ viros minus occupatos, eique pene in totum addictos, exigere videtur, classici, & occupati Aduocati non de facili in eis se ingerere soleant; Ideoque de decet, vt non benè versatus, in his se ingerat, potissimè quia liberuli particulares super decretis Apostolicis, vel S. Cõgregationis, alijsque formulis habentur, vbi facile est videre.

In ista verò negotiorum specie, quidam habetur antiquus stylus singularis, qui in alijs Congregationibus non viget, quod scilicet Cardinalibus Congregationis, alijsque officialibus, ac operarijs, ratione magni laboris, qui desuper adhibendus est, in studio, ac reuolutione valdè voluminosorum processuum, super probationibus, soluuntur propinæ, seu sportulæ, aliaque emolumenta; Ideoque apud probos, ac zelantes viros, problematica est quæstio, an iste vsus, quamuis antiquus, atque de stricta iuris censura licitus, aboleri debeat, necnè; Multisque placet opinio affirmatiua, ad tollendas occasiones obloquutionum vulgi ignari, vel maligni, ac æmulatorum Romanæ Curia, dum ex dicto Apostoli, sapientibus, & insipientibus debitores sumus; De hoc autem, meum non est agere, ideoque rotum referuatur iudicio

20-

G. pluries dicto tit. de præminent. & dicto Miscellan. Ecclesiast. & alibi.

eorum, ad quos pertinet.

In nuperrima verò quinque Sanctorum canonizatione per Clementem X. facta, etiam inter ipsos sanctos, pro nostra capacitate, vel consolatione, præcedentiæ quæstio in ista Congregatione disputata fuit, de qua in Ecclesiastico Miscellaneo agitur. H

H. disc. 40.



De Sacra Congregatione Indicis librorum.

S V M M A R I V M.

- 1 **Q**uod non sit vera propositio quod moderno tempore libido scribendi creuerit.
- 2 Sed quare id certificetur de facto.
- 3 Gracia prius literata, & Italia barbara.
- 4 In quibus Italia partibus litera initium habuerint.
- 5 Roma habuit leges à Gracia.
- 6 Deinde Graciam opibus, bonis, ac literis spoliavit.
- 7 De regressu literarum, & artium in Graciam cum priuatione Italiae aliarumque adiacentium regionum.
- 8 Et de alio regressu in Italiam aliasque regiones cum priuatione Graciae.
- 9 Quod semper mundus fuerit, ac futurus sit idem.
- 10 Antiquus est Sedis Apostolicæ vsus prohibendi libros.

- 11 Qualis erat vsus antiquus in hac materia.
- 12 Decura, & officio Magistri Sacri Palatii in Vrbe circa libros.
- 13 Quando super hac materia Tribunal erectum sit.
- 14 Quales libri probiberi soleant, ac debeant, etiam illi circa mores, & alia extra fidem, & de ratione.
- 15 Quod parce, & circumspectè in hoc procedi debeat, & quare.
- 16 De erectione Congregationis Indicis.
- 17 Remanet tamen eadem potestas penes Congregationem vniuersalis Inquisitionis.
- 18 Qui nam interueniant in ista Congregatione, & quid in ea agatur.
- 19 Ordinarij locorum non concedunt licentiam legendi libros prohibitos, & qui dent licentiam.
- 20 Omnia fiunt gratis, & extraiudicialiter.
- 21 An ex bono sine liceat legere libros prohibitos sine licentia.
- 22 De alijs quæstionibus in hac materia cum magistratibus secularibus, cur non agatur.

D I S C. XIX.

**Q**uamuis (pro meo sensu), vera non sit illa propositio, quæ nedum per vulgariũ, sed etiam per plurimum sensatorum ora volitat, ac circumfertur, quod scilicet, scribendi libido, ac successiue librorum copia, nostris temporibus nimium, ac in excessu creuerit, cum omni tempore, ex dicto Sapientis, eadem fuit humana conditio, ijdemque mores A. Atque de hoc in specie Cicero alijsque antiqui scriptores, etiam conuenerunt; Et in nostra legali facultate comprobatur adeo venerandum, ac necessarium Iustiniani testimonium, quod leges, quæ ex eius compilatione, detractis glosis, vix vnum conficiunt volumen, tunc ultra duo millia volumina constituebant. B

Attamen, regulando rerum cursum, P. 2. Relatio N tan-

A. Salomon. lib. Ecclesiast. cap. 1.  
B. l. 1. & 2. C. de veter. Iur. enuclean.